This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Lt
1
905

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.

Lt 1.905

SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.

CHRISTO ET ECCLESIAE

BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
MRS. ANNE E. P. SEVER,
OF BOSTON,
Widow of Col. James Warren Sever,
(Class of 1817,)

24 June, 1884.

DE CONIUNCTIONUM CAUSALIUM APUD TACITUM USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE IX. MENS. AUGUSTI A. MDCCCLXXVI. HORA XII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS REUSS

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
H. TEICHMANN, CAND. PHIL.
J. WOELFER, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM
FORMIS PLOETZIANIS.
MDCCCLXXVI.

JUN 24 1884

CARISSIMIS PARENTIBUS

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIETATIS TESTIMONIUM

D. D. D.

Praefatio.

Postquam nisi singula persequendo ad universum perveniri non posse recte perspexerunt, homines docti, qui grammaticae latinae perfectioni operam dant, recentioribus temporibus magis quam antea studia conferre coeperunt ad singulorum scriptorum diversa dicendi genera pervestiganda et inter se comparanda. Iam vero quamquam in numero eorum scriptorum, ad quos praecipue illa studia adhuc pertinuerunt, etiam Cornelius Tacitus habendus est, tamen in sermone eius permulta supersunt, quae accuratius perquirantur necesse sit. Quin etiam nunc demum, postquam Wölfinius[1]) vir doctissimus nuperrime primum viam ac rationem demonstravit, quae cum omnino tum vel maxime in Taciteo stilo perscrutando et definiendo adhibendae essent, studiis, quae huc spectant, firmum subjectum est fundamentum. Equidem, qui cum nonnullarum causalium conjunctionum tractarem apud Tacitum usum, pro mea parte aliquantulum in medium afferre conatus sum, Woelflinii praecepta, quatenus hoc fieri poterat, secutus imprimis historicum Taciti scriptorum ordinem servare studui. Ceteris de libris, qui mihi hanc dissertationem componenti usui fuerunt, cum eos semper sub textu annotaverim, plura verba facere non opus est.

Haec sola, priusquam ad rem ipsam accedamus, addere liceat.

---

[1]) Philologus XXV p. 92—184. XXVI p. 92—166. XXVII 113 149.

Aptissime materiam, deinceps pertractando singulas particulas, disposuerim necne, nescio, sed credo dilucidissime. Praeterea quod attinet ad ipsam rerum explicationem, nonnulla vereor ne paullo levius et, ut ita dicam, exterius attigisse videar. Sed hoc non solum prorsus vitari non potuisse, sed interdum etiam ad brevitatem et perspicuitatem augendam valuisse existimo.

Quibus praemissis nil obstat, quominus in medias res eamus atque initium ab usitatissima conjunctionum causalium, quae est „quia" sumamus.

§. 1.

Quia.

Quamquam conjunctionem causalem „quia“, si generatim velis atque universe iudicare, apud Tacitum eodem fere modo, quo apud ceteros scriptores non solum argenteae sed etiam aureae latinitatis, adhiberi censendum est, tamen etiam in huius particulae usu non pauca inveniuntur, quae proprio scriptoris dicendi generi tribuantur necesse sit. Atque ea quidem, quae minus usitate dicta sunt, pertinent cum ad ipsius particulae, tum ad modorum, qui ei adiunguntur, usum.

I.

Primum igitur, neglecta modorum ratione, exponere conabor, quatenus conjunctionis „quia“ apud Tacitum usus a vulgari sermone abhorreat.

Iam quidem ante omnia demonstrandum est, haud pauca inveniri in Taciti scriptis exempla ubi, „quia“ significationem atque usum aliarum causalium conjunctionum habeat; deinde agendum erit de nexu, quo causalia enuntiata a „quia“ pendentia conjunguntur cum aliis, quae causam aliquam exprimunt, vocibus; denique ad nonnullos peculiares locos explicandos pauca dicenda erunt.

1. „Quia“ aliarum conjunctionum locum obtinet.

a) „quia” significat „indem“ „dadurch dass“, id quod usitate particulis „cum“, „quod“ (sive „eo quod“) exprimi solet. Sic. Ann. III 9 „auxit vulgi iras, quia navem adpulerat.“ ib. XVI 23 „At Baream Soranum iam sibi Ostorius

Sabinus, eques Romanus poposcerat reum ex proconsulatu Asiae, in qua offensiones principis auxit justitia atque industria et quia portui Ephesiorum aperiendo curam insumpserat vimque inultam omiserat". Quo loco enuntiata a „quia" pendentia non ad „poposcerat reum" sed eodem modo quo „justitia atque industria" ad „offensiones auxit" referenda sunt. Similiter „ideo quia" „eo quia" pro „eo quod" scriptor posuit: Ann. IV 52, „correptamque Graeco versu admonuit, non ideo laedi, quia non regnaret" (es geschähe ihr kein Unrecht, indem=dadurch, dass sie nicht herrsche). Ann. XV 28 „quod eo maxime patuit, quia imperavit" [1].

b) „Quia" pro „quod" post verba „accusandi," „laudandi," similia et post ea, quae affectum aliquem significant, apud Tacitum, ni fallor, rarissime invenitur. Mihi quidem haec duo tantum exempla obviam fuerunt: Ann. II 50 „Appuleiam Varillam, sororis Augusti neptem, quia probrosis sermonibus divum Augustum... inlusisset, majestatis delator arcessebat." ib. IV, 64 „actaeque ei grates..., quia iuverat." De eodem usu apud Plautum Terentiumque cf. Lübbert [2]) p. 101. 104, apud Livium Kuehnast [3]) §. 374.

c). „Quia" particulae „quoniam" habet significationem „da nun einmal".

Coniunctione „quoniam" plerumque non tam causa aliqua, quam res aliqua omnibus satis cognita affertur, quae ad eam rem vel actionem, de qua agitur, explicandam aliquid valet. Ita autem „quia" dictum est H. I. 15 „secundae res acrioribus stimulis animos explorant, quia miseriae tolerantur, fe-

---

[1]) Scilicet fieri non potest, ut omnes locos, quibus „quia" una vel altera utitur significatione, afferam, praesertim cum subtiliter hoc distinguere atque accurate haud raro sit difficilius. Immo satis esse mihi videtur, paucis perspicuis demonstrare exemplis, tales significationum permutationes in coniunctionum usu apud Tacitum fieri.

Praeterea, ut hoc addam, correlativa apud quia sola adhibet eaque raro Tacitus „eo" „ideo". „Eo": Agr. 22 H. III 25. Ann. I 20, „Ideo": Ann. XIII, 37. XV 55 XVI 12. „Propterea" autem „idcirco" similia non invenies.

[2]) Lübbert, die Syntax von „quom".

[3]) Kuehnast, Livianische Syntax.

licitate corrumpimur". Ib. 72 „et haud dubie servaverat (sc. filiam Titi Vinii) non clementia, quippe tot interfectis, sed effugium in futurum, quia pessimus quisque diffidentia praesentium mutationem pavens adversus publicum odium privatam gratiam praeparat". Iam verbis „quia — praeparat" mirum non esse exponitur, Tigellinum illud fecisse, nam pessimum quemque ita agere; causa autem, cur Tigellinus ita se gesserit, omnino non inest. — Ut in his, quae attuli, exemplis, ita in plerisque, quae huc spectant, sententiae communes continentur. Quo simul fit, ut indicativus praesentis ponatur, etiamsi verbum eius enuntiati, quod ad explicandum talis sententia voce „quia" adhibita adiungitur, praeteriti alicuius temporis utitur forma. Alia autem huius usus exempla haec sunt H. III, 58, Ann. II, 39. 42. IV, 24. VI, 16. (22) 33. (39) XIII, 12, XIV, 62. XV, 7.

Praeterea „quando" item usurpatum invenitur H. IV, 6: „erant quibus adpetentior famae videretur, quando etiam sapientibus cupido gloriae novissima exuitur".

d) Aliquoties „quia" aliquod additamentum explicativum adiungit, id quod usitatius fit per coniunctiones coordinantes „quippe" vel „enim" (nemlich).

Ann. III, 17; „sed in regressu dispar fortuna fuit, quia navium quasdam circumvenere barbari". Ib. XIV 22: „nimia luxus cupido infamiam Neroni tulit, quia fontem incesserat." Quibus locis „quia" causam, cur fortuna dispar fuerit, cur cupido Neroni infamiam tulerit, non introducit, sed verbis, quae a „quia" pendent, quae fuerit illa calamitas, illa cupido luxus, explicatur.

2. Enuntiata a „quia" pendentia et causae substantive, participialiter etc. expressae coordinate inter se coniunguntur.

Ex inconcinnitate[1]) quadam haud raro inter enuntiata causalia et substantiva, participia etc., quibus causa aliqua continetur, parataxis exsistit. Ac prout utraque pars particulis „et" („nec") vel „sed" („verum") vel „an" „seu" „vel" con-

[1]) Draeger Tacit. Synt. §. 233.

iungitur, copulativam vel adversativam vel disiunctivam distinguere licet coordinationem.

a) „Et quia“ („nec quia“) praecedente substantivi ablativo vel substantivo cum praepositionibus „ob,“ „propter“ coniuncto legitur primum H. III 58 „quin et Caesarem se dici voluit, aspernatus antea, sed tunc superstitione (aus Aberglauben) et quia in metu consilia prudentium et volgi rumor iuxta audiuntur.“. Saepius talia inveniuntur in annalium libris ut IV 15 „ob quam ultionem et quia ·· vindicatum erat.“ ib. 24 „terrore nominis Romani et quia Numidae ferre nequeunt.“. Porro IV 28. VI 17. (23) XII 14. XIII 45. XV 38.

Etiam participia, quibus continetur causalis census „et quia“ sequente usurpantur, ut A. XI 24 „quis subactus miles et quia — similia tolerabantur“. XIV 47 „Regulus quiete defensus et quia — erat“. Commemoratu autem dignissimus est hic locus Ann. II 42, quo simul, quantopere diligat Tacitus stili variationem [1]), dilucidissime illustratur. Ibi enim legitur: „ille ignarus doli vel si intellegere crederetur, vim metuens in urbem properat, exceptusque immiti a principe et mox accusatus in senatu non ob crimina, quae fingebantur, sed angore, simul fessus senio et quia regibus aequa, nedum infima insolita sunt, finem vitae sponte an fato implevit.“

„Nec quia“ H. II 17 „nullo apud quemquam Othonis favore nec quia Vitellium mallent“.

„Et quod“ (= und weil) [2]) semel modo ita adhibitum reperitur Ann. XIV 5: „turbatis omnibus et quod . . . impediebant.“

b) „Sed quia“ post causam falsam vel tantum cogitatam ideoque negative expressam corrigendi causa ponitur, ut Agr. 9 „nullis in hoc suis sermonibus (nicht als ob er in seinen Reden darauf hingedeutet hätte), sed quia par videbatur.“ Similiter Agr. 10 G. 5. In historiis non legitur, sed in annalibus I 22. II 37. XI 11. „verum quia“ pro „sed quia“ Ann.

---

[1]) Boetticher lex. Tac. proleg. LXVII sqq.

[2]) Ut facilius comparare possis, ubi fieri poterit, analogias, quas in usu aliarum coniunctionum inveni, statim hic adiungere in animo est.

I 58. „Sed quod" Ann VI 39 (45): „nullam ob eximiam causam, sed quod par erat".

c) „Seu quia" „vel quia" „an quia".

„Seu quia" H. III 62 „Fonteium Capitonem corruptum (weil er ihn bestochen hatte) seu quia corrumpere nequiverat, interfecit."

„Seu quod" h. V 4 „seu principia religionis tradentibus Idaeis... seu quod — stella Saturni feratur".

„Seu quia — seu quia", ut hoc addam, bis legitur H. I 9. 34.

„Vel quia" H. IV 48: „legatorum vis adolevit diuturnitate officii, vel quia minoribus major aemulandi cura (sc. est)".

„An quia"[1]) non invenitur, nisi ter in annalium libris: III 9 „vitandae suspicionis an quia pavidis consilia in incerto sunt." IV 54 „donec advertit Tiberius, forte an quia audiverat." XIII 12 „fato an quia praevalent inlicita."

„vel quod" „an quod" nusquam ita posita sunt.

3. De nonnullis locis, qui cum inusitati quiddam habeant, explicatione quadam indigent.

Loci, quibus enuntiatum causale subjecti locum tenere videtur, ita ut „quia" pro „quod" (der Umstand dass) positum esse putari possit, hi reperiuntur: Ann. II 44: „Germanico alienatio patrui amorem apud ceteros auxerat et quia claritudine materni generis anteibat." Ib. VI 9 (15): „Constantia orationis, et quia repertus erat, qui efferret, quae omnes animo agitabant, eo usque potuere, ut accusatores... multarentur". Ib. VI 29 (35): „Nam promptas eiusmodi mortes metus carnificis faciebat, et quia damnati publicatis bonis sepultura prohibantur etc." Iam quidem si in his locis pro „quia" „quod" collocatum esset, eis nihil inesset alieni. Certe „quod" saepius ita usurpatum invenimus ut Ger. 43: „Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos, et quod tributa patiuntur"; item H. III 46 Ann IV 18. Sed quamvis hi loci illis sint

[1]) Quomodo talia additamenta particula „an" facta intellegenda essent, praeter alios Woelflinius exposuit. cf. Philol. XXV. p. 128.

similes, tamen nullo modo fieri potest, ut „quia“ pro „quod“ (der Umstand dass) positum esse dicamus. Immo in illis locis duas constructiones permixtas esse putandum est. Sic scriptor Ann. VI 29 (35) verbis „nam promptas eiusmodi mortes metus faciebat” praemissis pergit, tanquam ita fere inceperit: „nam promptae eiusmodi mortes fiebant metu carnificis” vel „—quia carnifex metuebatur”. Ex inconcinnitate igitur dicendi quadam scriptoris illos locos explicandos esse censeo. [1])

Simile quiddam atque in locis modo tractatis inest in dial. 15, ubi legitur: „Et quod quibusdam solatio est, mihi auget quaestionem, quia video etc.“ Exspectatur enim pro causali enuntiato enuntiatum subiecti loco positum, ut Agr. 45 „auget maestitiam, quod assidere . . . contigit.“ Neglegentia autem quadam fit, ut argumentum subiecti enuntiati causaliter adiiciatur. Quo causali nexu iure usus esset scriptor, si scripsisset: „Quidam se consolantur de hac re, quia vident etc., mihi autem hoc ipsum auget quaestionem.“

Porro hic afferantur Ann. IV, 38. XI, 25. In primo quidem loco scriptum est: „perstititque posthac secretis etiam sermonibus aspernari talem sui cultum, quod alii modestiam, multi, quia diffideret, quidam ut degeneris animi interpretabantur.“ Iam apparet „modestiam“, „quia diffideret“, „ut degeneris animi“ pariter ac coordinate dicta et pro accusativis, quos vocant, praedicativis ad „quod . . . interpretabantur“ posita intellegenda esse. Scilicet revera „modestiam“ tantum habere possumus accusativum. Variationis enim amore pellectus et magna, quam in dicendo sibi concessam habet, licentia adiutus scriptor illam vere Taciteam constructionem, vel potius constructionum confusionem confecit, quam si voluisset, iustam reddere facile potuit.

Idem cadit in alterum locum, qui est: „Datum id foederi antiquo et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant.“ Pro quo recte dicendum fuit: „Datum

[1]) Boetticher lex. Tac. prol. p. LXXI: „Saepe diversa constructionum genera permiscentur et inchoato iam dicendi quodam genere abrupto et neglecta concinnitate ad aliud transitur.“

id (sc. Aeduis), quia antiquo foedere utuntur et quia etc." vel „Datum id antiquo foederi et fraternitatis nomini, quod soli etc."

II.

Modorum Taciti apud „quia" coniunctionem usus.

In universum quidem haec praemittenda sunt. Tacitus „quia" particula in minoribus scriptis, ni fallor, tricies semel, in historiis quadragies quinquies, ducenties in annalium libris utitur. Ac louge plurimis locis indicativus, conjunctivus tantum tricies octies legitur idque in dialogo semel, bis in Agricola, in Germania semel, in historiarum septies, vicies septies in annalium libris. Quamquam igitur conjuntivi usus in posterioribus scriptis paullo augetur, tamen eum non praevalere videmus, id quod apud „quod" fieri infra demonstrabitur.

Deinde ad singulos modos transeuntes primum indicativi usum pertactemus.

1. Indicativus.

a. Indicativus ad „quia" adjunctus in oratione obliqua.

Ut omnino in obliqua, quam vocant, oratione Tacitus haud raro indicativum pro conjuntivo adhibet[1]), ita etiam „quia" aliquoties ibidem cum indicativo conjunctum invenimus. Ac primum quidem hoc obviam est H. I 7 „Galbam quoquo modo acta, quia mutari non poterant, comprobasse." Deinde saepius in annalium libris ut I 13 „quia prociderat" III 6. IV 25 V 9 (sive VI 4) VI 12 (18)[2]) VI 29 (35) XI 14 XV 51. Ceterum hic usus, qui ad omnia fere enuntiata non solum conjunctionibus adjecta sed etiam relativa pertinet, idemque apud alios scriptores ut apnd Livium reperitur, facile explicatur. Scriptor enim alacritate dicendi pellectus partes ejus, cujus vel sen-

---

[1]) Boetticher lex. Tac. p. 253. Draeger synt. Tac. § 151. Nipperdey ad. Ann. I. 10.

[2]) cf. Nipperdey ad. h. l.

tentias vel verba narrat, suscipiens ipse dicit, quod ab illo dici e sententiarum nexu exspectamus. Quo fit, ut talia enuntiata tanquam in parenthesi addita intellegere liceat.

b. Indicativus ad „non quia“ positus[1]).

Priusquam de hoc dicendi genere nostri scriptoris, qui post „non quia“ utrumque modum promiscue usurpat, aliquid judicari possit, quae lex in modorum apud „non quia“ usu omnino recta habenda sit, accuratius perquiratur necesse est. Hoc autem optime fieri poterit, cum exemplis utamur. Atque initium sumamus a dial. 9 ubi legimus: „nempe si amicus ejus, si propinquus, si denique ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret, aut ad te Materne, non quia poëta es, neque ut pro eo versus facias.“ Verba rectam causam continentia „sed quia orator es et ut eum defendas,“ cum facillime e sententia suppleri possint, omissa sunt. „Non quia poëta es“ = „nicht deswegen, weil du Dichter bist;“ nostrum igitur sermonem cum latino congruere videmus. Sed indicativus etiam summo jure positus est. Nam Maternus poëta non solum est, sed etiam habetur: ergo „Maternum poëtam esse“ nihil excogitati est, sed cum veritate convenit. Immo hoc solum negatur, illud „poëtam esse“ effecturum esse, ut qui in aliquod negotium inciderint, ad Maternum recurrant.

Huic exemplo contrarium est H. I. 15: „sed Augustus in domo succesorem quaesivit, ego in republica, non quia propinquos aut socios belli non habeam sed e. q. s,“ „nicht als ob ich keine Verwandten hätte“. Etiam hic item eodemque jure ac Latini nos conjuntivo utimur. Habet enim propinquos Galba: ergo illud „propinquos non habere“ est aliquid tantum ficti, quod a veritate aberrat.

Jam ex his, quae iter se opposui, exemplis facile cognoscitur, qua in re ponendum sit judicium. Si enim aliqua res, quae per se justa ac vera vel est vel certe habetur, causa alicujus rei esse negatur, indicativus (scilicet excepta oratione obliqua), sin autem aliquid tantum cogitati et quasi

---

[1]) „non quod“ „non quo“ „non quin“ apud Tacitum non invenies.

per conjecturam inventi, conjunctivus adhibendus est [1]). Haec quidem lex melioris latinitatis est.

Nec mirum est longe saepissime apud scriptores conjunctivum inveni. Nam praecipue „non quia“ „non quod“ adhibere solemus ad cavendum, ne alicui rei vel actioni falsa causa, quam supponi posse opinamur, supponatur, ad falsam interpretationem, perversam conjecturam repellendam.

Apud Tacitum, ut hoc praemittam, praeter H. I. 15 conjunctivus post „non quia“ legitur Agr. 46. H. I. 29 II. 17. Ann. XIV 43, neque in ullo loco est, cur offendamus. Praeterea huc referendum est H. IV 25 „tum e seditiosis unum vinciri jubet, magis usurpandi juris, quam quia unius culpa

---

[1]) Grammaticae in usum scholarum compositae simpliciter docent, si causa aliqua locum habere negetur, coniunctivum utendum esse; id quod quamquam iure quodam dici potest, tamen certe non sufficit.

Recte Haasius (Reisigs Vorlesungen § 270 annot 432). „Wird ein Grund als ein wirklich vorhandener angegeben und nur die Folge geleugnet, wobei der Indicativ gebraucht wird, so steht nicht non quo sondern non quod oder non quia. — Aliter Kruegerus (Grammatik der lat. Spr. § 368 Anm. 2) „Bei non quod, non quia — sed, wo ein Grund verneint und ein anderer an die Stelle gesetzt wird, ist darauf zu achten ob der verneinte Grund als ein bloss möglicher, der etwa stattfinden könnte, oder ob er als wirklich nicht stattfindend darzustellen ist. Erstere Darstellungsweise ist häufiger. In dem letzeren Falle steht der Indicativ, im ersteren der Conjunctiv.

Sed haec mihi nimis incerte dicta esse videntur. Nam etiam ubi coniunctivum ponimus, negatam causam vere locum non habere profitemur.

Cf. etiam Cic. pro Plancio cap. 32 § 78, „non quia multis debeo — leve enim est onus beneficii gratia — sed quia concurrunt e. q. s.“ Iam parenthesi „leve . . gratia“, quam addit Cicero, profecto se multis debere fatetur. Argumentum igitur negativi causalis enuntiati per se a veritate non abest. De republica I. 18 „Egregie cordatus homo catus Aelius Sextius . . ab Ennio dictus est non quod ea quaerebat, quae numquam inveniret, sed quod ea respondebat, quae eos, qui quaesissent, et cura et negotio solverent;“ (ubi Kayserus sane „quaereret“ corigendum esse putavit.)

Praeterea Hor. Sat. I. 6. vers 1 sqq. „Non quia, Maecenas, Lydorum quidquid Etruscos incoluit fines, nemo generosior est te etc.“

De indicativi post „non quia“ non quod“ apud Livium cf. Kuehnast Liv. Synt. p. 240. 393.

foret.“ Quod plane idem esse ac „non quia unius culpa foret, sed ut usurparet“ ideoque conjunctivum recte positum esse censeo.

Jam ad indicativum redeamus, quem praeter dial 9, quo loco hunc modum optimo jure collocatum esse vidimus, scriptor adhibuit H. III 4. Ann. XIII 1 XV 60. Ac primum quidem quaerendum est, num illa lex, quam supra statuere contigit, in hos quoque locos quadret. H. III 4 legimus: „Flavianum rerum novarum cupido legati nomen resumere et misceri civilibus armis impulerat, suadente Cornelio Fusco, non quia industria Flaviani egebat, sed ut consulare nomen praetenderetur.“ Apparet sensum inesse hunc: „Flaviani industria Fuscus non egebat.“ Ann. XIII 1 „mors Iunii Silani paratur, non quia ingenii violentia exitium irritaverat, — verum Agripina metuebat“. Sensus est: „Silanus non irritaverat“. XV 60: „Sequitur caedes Annaei Senecae, laetissima principi, non quia coniurationis manifestum compererat, sed ut grassaretur“. Sensus: „non compererat“. Res igitur, quae in his locis causae esse negantur, omnino falsae et tantum cogitatione fictae sunt. Ergo Tacitus neglecta illa lege indicativum adhibuit. Nam ad eam observandam ubique (excepto d. 9) coniuntivus ei ponendus fuit.

Nihilominus perversum esset, si quis Tacitum sine ullo discrimine indicativo aut coniunctivo usum esse putaret. Immo sic dicendum est. In simplici narratione, ut in eis, quos modo ractavi locis, scriptor indicativum antefert; quamobrem etiam H. III 80 „non quia modestior miles“ indicativi forma „erat“ supplenda est. Sane etiam coniuntivus ita ponitur, H. II 17. IV 25; sed his locis [1]) verba paullo insolentius constructa sunt.

---

[1]) H. II, 17. „Aperuerat bellum— ala Siliana, nullo apud quemquam Othonis favore nec quia Vitellium mallent,“ H. IV 25 „tum e seditiosis unum vinciri iubet magis usurpandi iuris quam quia unius culpa foret.“

Liceat his locis duos alios adjicere, qui eorum alteri (H. IV, 25) simillimi sunt: H. II, 3 „duro magis et arduo opere — quam quo satis virium obsessis ... superesset“. H. III 72: „spe magis futurae magnitudinis, quam quo — sufficerent.“ Qui loci soli inveniuntur, in quibus, si non „non quo“ tamen simile „quam quo“ obviam sit.

Semper autem coniuntivo Tacitus utitur, cum alios de se ipsis in prima persona verbi loquentes facit: Agr. 46 „non quia paveam". H. I 15 „non quia non habeam" ib. 29 „non quia paveam" Ann. XIV 43 „non quia-dubitarem". Praeterea in oratione indirecta coniuntivus supplendus est Ann. II 33. „Distinctos senatus et equitum census, non quia diversi natura (sc. sint) sed ut—antistent."

Iam vero, ut hoc addam, iusta causa additur non per „sed quia" sed per „sed sequente enuntiato per se posito", ut dial 37. (sed - memimerius) Agr. 46 H. I 15, II 17, III 80. Pro „sed" legitur „verum" Ann. XIII 1. „Sed" omissum est H. I 29 (patris et senatus doleo). Praeterea „sed" particulam aliquoties „ut" („ne") finale sequitur: H. III 4 („sed ut-praetenderetur") Ann. II 33. XIV 43 („sed ne viderer") XV 60. Quia per se intellegitur, omnino non addita est vera causa dial 9.

Restat, ut de loco, quem adhuc consulto praetermisi, pauca addam. Dial 37: ubi postquam demonstrare coepit, ad magnos oratores perficiendos magnis causis opus esse nam crescere cum amplitudine rerum vim ingenii — Maternus ita pergit: „nec Ciceronem magnum oratorem P. Quintius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt. non quia tanti fuit reipublicae malos ferre cives, ut uberem ad dicendum materiam oratores haberent: sed ut subinde admoneo, quaestionis meminerimus sciamusque, nos de ea re loqui, quae facilius turbidis et inquietis temporibus extitit." Primum quod attinet ad verborum sententiam, de usu et significatione ellipticae locutionis „tanti est" planissime et accuratissime Madvigius [1]) disseruit. Supersedeo igitur hanc quaestionem hic pluribus tractare.

Deinde autem altera fit controversia eademque gravioris momenti. Quamquam enim hic locus codicum scriptura consentiente optime fundatus est, tamen recentiores editores Halmius Michaëlis, Andresenus pro „tanti fuit" in textum „tanti fu-

[1]) cf. opuscula academica II p. 187 sqq.

erit“ receperunt idque Madvigii sententiam secuti, qui huic loco, postquam eum (opusc. acad. II p. 192) laudavit, in parenthesi hoc unum „opinor fuerit“ adscripserat. Iam iure facta sit haec mutatio necne quaerendum est. Supra demonstrasse mihi videor, Tacitum, quamquam uno loco excepto (dial 9) nusquam secundum melioris latinitatis legem indicativum ad „non quia“ adiunxerit, tamen id animadvertisse, ut hoc modo non uteretur nisi in simplici narratione. Cui scriptoris consuetudini hoc solum exemplum, quod est dial 37, repugnat. Porro. Cum (excepto dial. 37) ei loci, quibus indicativum contra legem ad „non quia“ positum esse modo dixi, in solis historiarum et annalium libris inveniri supra viderimus i. e. in eis scriptis, in quibus Tacitus longissime a vulgari dictione recedit eiusque proprium genus dicendi plane conformatum atque excultum est; cum idem scriptor in dialogo proxime accedat ad ipsam Ciceronianam latinitatem, cuius lege eo loco, de quo agitur, sine ullo dubio coniunctivus postulatur, — fieri non potest, quin contra Ritteri et Draegeri[1]) sententiam, qui codicum scripturam retinent, Madvigii coniecturae assentientes cum Halmio, Michaeli, Andreseno „tanti fuerit“ scribendum esse putemus.

2. Coniunctivus.

Coniunctivus in enuntiatis a „quia“ pendentibus tricies octies idque his locis legitur: dial. 37 Agr. 9 (suppl. sit) 46 Ger. 36 H. I 15. 29. H. II 17. IV 25. 57 (suppl. sit) 72 V 4. Ann. I 76. II 30 33 (s. sint)50. 55. 82. III 24. 34 47. 64. 69. 74 IV 4. 38. 52 VI 37 (43) (s. esset) XI 15 18 (bis) XIII 37 XIV 43. 61 47. 55 (bis) XVI 12. 29. Quorum plurimis locis coniunctivus oratione obliqua postulatur. Praeterea semel secunda coniunctivi praesentis persona nostrum „man“ exprimitur (G. 36). Septies post „non quia“ positus est dial. 37 Agr. 46. H. I. 15. 29. II 17. Ann. II 33. XIV 43. post „quam quia“ H. IV. 25.

Paullo minus usitate[2]) conjunctivus collocatus est Ann.

---

[1]) Synt. Tac. §. 188.

[2]) cf. p. 81.

III. 74: „Nam quia ille robore exercitus impar, furandi melior pluris per globos incursaret, eluderetque insidias et simul temptaret, tres incessus totidem agmina parantur.“ Recte ad h. l. Nipperdeyus: „Die Conjunctive können nur die von den bei parantur gedachten Handelnden geäusserten Gründe bezeichnen, was hier etwas auffällig ist.” Offendunt enim quodam modo conjunctivi, quod is vel ei, e quorum sententia dicti sunt, non nominantur, sed implicite tantum in „parantur agmina” continentur. Sed similia saepius apud Tacitum leguntur ut: Ann. IV. 64 „adduntur sententiae, ut mons Caelius in posterum Augustus appellaretur, quando (weil) cunctis circumflagrantibus sola Tiberii effigies — inviolata mansisset.” H. IV. 28 „actae utrobique praedae, infestius in Ubiis, quod gens Germanicae originis ejurata patria Romanorum nomen Agrippinenses vocarentur.”

Iam locus restat, in quo Nipperdeyus per conjecturam conjunctivum posuit. Ann. XIII. 41: „Artaxatis ignis immissus deletaque et solo aequata sunt, quia nec teneri sine valido praesidio ob magnitudinem moenium, nec id nobis virium erat, quod . . . divideretur.” Sic codex Mediceus. Verba, quia „nec teneri” quomodo explicanda vel emendanda essent, multum disputatum est. Perversa est Boetticheri sententia. Is enim in lexico suo [1]) ubi de Taciti brevitate, specialiter de ellipsi disserit, illo loco, poterant” supplendum esse censet. Sane haec verbi „posse” forma desideratur, eam autem suppleri non posse liquet. Deinde Grotius „tenere” scribi et ex sequentibus „erat” assumi voluit: „tenere erat” = „war zu halten,” similiter ac Ger. 5, „est videre” Ann. XVI. 34 „ut conjectare erat.” [2]) Alii e verbis „nec id nobis virium erat” notionem „posse” verbi subintellegendum esse putarunt. — Jam e recentioribus Nipperdeyus „teneri” in „teneres” mutavit, ita ut „teneres” conjunctivus potenlialis esset „weil man nicht hätte halten können.” Ac Draegerus quidem in libro de

[1]) proleg. LXXXV.

[2]) De hoc Graecismo cf. Draeger §. 145.

[3]) §. 28 b.

Taciti syntaxi et stilo [3]) hoc „teneres" in numerum illius conjunctivi exemplorum, inconsulte credo ac temere, recepit. Nam Nipperdeyi conjectura probari non posse mihi videtur. Si enim comparamus, qui inveniuntur apud Tacitum, conjunctivos potentiales, ut H. I. 10 „laudares"; ib 50 et 57 „scires"; H. II. 62 „non timeres"; H. III. 75 „non argueres"; Ann. III. 1 „neque discerneres"; XIII 3 „nec requireres", eos omnes multo magis in universum dictos esce videmus. Notio enim germanici „man", quae inest in secunda verbi persona, illic revera in unumquemque referri potest; — in nostro autem loco „teneres" certo tantum ad exercitum Romanum pertinere posset. Praeterea hoc genus dicendi in enuntiatis per se positis adhiberi solet, certe non in eis, quae causaliter adjecta sunt. — Quae cum ita sint, recurrendum esse puto ad eam, quam Ritterus et Halmius nuperrime fecerunt, emendationem. Hi enim „poterant" addi derunt. Legendum est igitur „quia nec teneri „poterant."

3. Formae verbi „esse" supplendae [1]).

Omissae sunt formae verbi „esse" his locis: Agr. 9 (sit) Agr. 10 (erat) Ger. 14 (est) H. I. 9 (erant) ib. 13 (erat) 39 (est) H. IV. 48 (est) 57 (sit.) H. V. 5 (est) Ann. I. 33 (erant) 77 (erant) II. 2 (erant) 33 (sint) Ann. IV, 3 (erat) 24 (erat) V. 3 (erat) VI. 37 (43) (esset) XI. 11 (erat) XII. 17 (erat) XIII. 15 (erat). Plerumque igitur indicativi ac praecipue indicativi imperfecti formas praetermissas esse videmus. Conjunctivos autem raro tantum idque, ut Nipperdyeus recte animadvertit, ex insequenti alio conjunctivo supplendus est, ut Agr. 9 „quia castrensis jurisdictio secura et obtusior (sit) ac plura manu agens calliditatem non exerceat." — H. I. 39. IV. 48 cum insint his locis sententiae com munes [1]) secundum Taciti genus dicendi indicativi praesentis formas supplendas esse facile intellegas.

---

[2]) Nipperdey ad Ann. I. 7. Draeger §. 34 — 37.

[1]) cf. l. l. c.

§. 2.

Quod.

Ad conjunctionem „quod" tractandam progredienti solius „quod" causalis, quam vocant, particulae rationem habere — quamquam id solum propositum est — non modo difficile sed etiam perversum mihi esse videtur. Ac difficile quidem, quia persaepe fit, ut in controversia versetur, „quod" intellegendum sit causale necne, perversum autem, quia in modorum usu, quem imprimis investigare volumus, diversa quae in grammaticis distinguuntur „quod" particulae genera inter se non discrepant. Quae cum ita sint, quaecunque in universo conjunctionis „quod" apud Tacitum usu mentione digna esse mihi videntur, deinceps breviter pertractare institui. Ac primum quidem sub I. comprehendere liceat, quae ad ipsius conjunctionis, deinde sub II., quae ad modorum, qui ei adjunguntur, usum pertinent.

I.

1. Enuntiata a „quod" pendentia et substantiva conjunguntur.

a) per copulam[1]), Germ. 43 „Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos et quod tributa patiuntur." H. III. 46 „Affuit fortuna et quod — transegimus.“ Ann. IV. 18 „amicitia Germanici et quod — dispergebatur." Ann. XVI. 6 „laudavit formam ejus et quod divinae infantis parens fuisset, aliaque fortunae munera pro virtutibus." ib. 31 „orditur de amicitia quodque (und davon dass) — Soranus egisset."

b) per appositionem quandam, ut H. II. 19 „laudari providentia ducis, quod (nemlich dass er) . . . legisset." Quamquam enim hic usus etiam apud ceteros scriptores invenitur, tamen is apud Tacitum certe in majoribus scriptis —

1) Draegerus (§. 233. 14) hunc usum jure in numerum inconcinnitatum, quae permultae exstant apud Tacitum, recepit. Sed aliud esse puto, enuntiatum a „quod" pendens cum nomine aliquo per „et" colligare, aliud, enuntiatum a „quia", „ut", „ne", etc. pendens ita adjungere. Illud quidem vix nos offendit, hoc autem summae dicendi licentiae est.

in minoribus non exstat — tam frequens est, ut in numero proprietatum ejus dicendi generis haberi possit. Qua de causa nonnulla alia afferre exempla in animo est:

α) substantivum in nominativo positum est. H. II. 55 „gratior modestia fuit, quod non scripsisset." ib. 95 „laetum foedissimo cuique apud bonos invidiae fuit, quod — fecisset." H. IV, 40 „diversa fama (erat), quod defendisset." ib. 41 „crimen urgebat, quod molitus foret." Ann. IV. 31 „laetitia interricitur, quod Caesar concessit." ib. XIV. 53 „una defensio occurrit, quod obniti non debui.;' ib. XV. 20 „una vox—penetraverat, quod dictitasset." ib. 68 „accesserat repens causa, quod - - junxerat."

β) substantivum in genetivo collocatum: H. IV. 63 „Civilem memoria beneficii flexit, quod filium ejus honorate custodiverant." Dubitari non potest, quin verba „quod . . . custodiverant," quibus illud beneficium quale fuerit explicatur, cum genetivo „beneficii" tanquam appositionis loco conjuncta intellegenda sint.

γ) Substantivum in accusativo positum: H. II. 20: „ornatum ipsius (sein Auftreten) in superbiam trahebant, quod . . alloqueretur." ib. 92 „gratum primoribus etiam plebs approbavit, quod concessisset." Ann. IV. 68 „laudare constantiam, quod . . non deseruissent." Ann. I. 9. „vana mirantibus, quod . . finivisset." Ann. XII. 46 „et cetera necessitudinum nomina referens, quod . . filiam haberet, quod . . . socer esset." XIII. 19 „non vetera et saepius jam audita deferens, quod . . lugeret, aut evulgaret."

δ) substantivum in ablativo collocatum. H. II. 74 „flammaverat arrogantia, quod . . . irridebant." III. 72 „suamet vanitate monstratum, quod . . . jecerat." Ann. II. 48 „auxit Caesar grata liberalitate, quod . . tradidit." Ann. IV. 34 „Cordus postulatur crimine novo et tunc primum audito, quod . . dixisset." Ann. XII. 13. „castellum insigne fama, quod illic Persarum opes conciderant." XIV. 50 „haud dispari crimine . . conflictatus est, quod . . composuisset" ib. 25, „variis criminationibus Senecam adoriuntur, tanquam . . augeret quodque . . verteret."

In omnibus his, quos sub b) attuli, locis — eorumque numerus valde augeri potest — appositio quaedam explicativa statuenda est. Nam id quod substantivo generaliter iam indicatum est, enuntiato per „quod" addito specialiter exponitur. — Restat tertium exemplorum genus, quae ab illis distingenda sunt.

c) Substantivis, quae aliquem animi affectum significant ut „metus" „odium" „ira" „iracundia" „aemulatio" „indignatio" „questus" „querimonia" enuntiatum per „quod" particulam adjungitur, quo, quam in rem pertineat ille affectus vel unde causam ducat et originem, explicetur. Sic H. II. 46 „Vitellius metu et odio, quod Dolabella . . accepisset, . . . jussit." ib. 100 „Lucilius Bassus, quod non statim praefecturam praetorii adeptus foret, iniquam iracundiam flagitiosa perfidia ulciscebatur." Sine dubio his locis voci „quod" causalis sensus inest; atque id solum paullo inusitatius esse mihi videtur, quod enuntiata causalia ad singula nomina adjiciuntur. Alia exempla haec sunt: H. III. 37 (indignatione) ib. 38 et 59 (aemulatione). H. IV. 49 (ira) H. III. 70 Ann. III. 7 (questu) Ann. IV. 60 (invidia) Ann. XV. 36 (querimonias). — Paullo majore usus est audacia scriptor Ann. XIII. 30 „Clodius Quirinalis, quod praefectus remigum, qui Ravennae haberentur, velut infimam nationum Italiam luxuria saevitiaque afflictavisset, veneno damnationem anteiit." Quo loco verba „quod . . afflictavisset" ad „damnationem" referenda esse apparet.

2. Enuntiata a quod pendentia ad praecedentia (rarius ad insequentia) pronomina correlativa spectant.

a) enuntiata substantive pro subjecto vel objecto posita. Jam invenitur: „id, quod" decies (Ger. 35 H. IV. 4 H. III. 53 Ann. I. 26. 32 XII. 6. 2. 52 XIII. 55 XIV. 53) „id ipsum, quod" sexies (dial 14. H. I. 86. II. 29. 91 IV. 76 Ann. IV. 70) „illud quod" semel (Ger. 11) „id solum quod" bis (Ann. IV. 70 XIII. 14). Alia autem pronomina ut „hoc, quod" non reperies. Praeterea pronomen demonstrativum per attractionem quandam cum praedicati nomine colligatum legimus Ann. I. 14: „quo minus idem pro Druso postularetur, ea causa (sc.

erat), quod . . . erat." Usitatius dicendum fuit „id quod . . . erat, causa." Similiter Ann. IV. 52 „cui sola exitii causa sit, quod . . delegerit": „sola" pro „id solum."

b) in enuntiatis causalibus bis tantum „eo" (= deswegen) inveni: Ann. III. 72 „at Pompeji theatrum igne fortuito haustum Caesar exstructurum pollicitus est, eo quod nemo e familia restaurando sufficeret." Ann. XI. 16. Contra „ideo quod," „propterea quod" similia apud Tacitum non exstant.

Aliquoties apud comparativos „eo" scriptum est sequente „quod": dial 8 „eo clariora sunt, quod . . ." (umso, desto berühmter . . weil, als . .) item dial 15 H. II. 12 III. 11. 43 Ann. III. 70 XII. 31. „Eo" autem deest H. IV. 21. 28 saepius.

c) In enuntiatis instrumentalibus, „eo quod" (= dadurch dass, indem) his tantum locis obviam est: „eo quod" Ger. 44. Ann. III, 67 „quin premeret voce, vultu, eo quod ipse creberrime interrogabat," „eo ipso quod" Ger. 16. Ann. III, 76. Plerumque autem etiam ubi hac significatione utitur, „quod" sine correlativo positum est, ut H. V, 24 „et satis peccavisse, quod totiens Rhenum transcenderint", Ann. I, 55. III, 15. 56. IV, 60 etc.

d) post praepositiones fieri non potest, ut correlativum omittatur. Inveniuntur autem „super" (= praeter) Ann. IV, 11 „in" Ann. II, 8. XIII, 41. XIV, 44 „ex" dial. 35 Ann. I, 13. VI, 10 (16). 30 (36). XI, 4. XIV, 51. XVI, 15. Pro „ex eo quod" legitur „hinc quod" Germ. 45. „De" Ann. XVI, 31 „orditur de amicitia quodque Soranus egisset." Quo loco e verbis „de amicitia" ad „quod" facile „de eo" suppletur, id quod illis verbis non praecedentibus omnino praetermitti non potuit.

Accedit hist. III, 2: „eo ipso uterentur, quod . . ." quod exemplum solum reperitur, quo enuntiatum verbo adiicitur, cui ablativus adiungi solet. Etiam hic correlativum adhibere scriptor coactus est.

Universe autem dici potest, Tacitum raro tantum correlativa posuisse, praesertim si ei loci praetermittuntur, ubi necessitate coactus ea posuit.

3. **Post verba sentiendi ac declarandi** a scriptoribus posterioris aetatis interdum pro accusativo cum infinitivo „quod“ usurpatur, eiusque usus iam apud Tacitum [1]) pauca exempla inveniuntur: Ann. III, 54 „nemo refert, quod Italia externae opis indiget.“ Utraque constructio copula „que“ coniuncta legitur Ann. XIV, 6: „reputans ideo se habitam (sc. esse) quodque navis concidisset.“ Similiter scriptum est Ann. XIII, 19 „non vetera et saepius iam audita deferens, quod Britannici mortem lugeret, aut Octaviae iniurias evulgaret, sed destinavisse eam Rubellium Plautum e q. s“ Sane hoc loco „quod“, cum ad „vetera et saepius iam audita“ applicetur, excusatum est eodem modo atque Ann. XII, 46 „et cetera necessitudinum nomina referens, quod filiam haberet e. q. s.“ [2])

4. **„Quod“ causale aliquoties eodem modo ac quia** [3]) **ad usum ac significationem coniunctionis „quippe“ vel „enim“ accedit** idque praecipue his locis: H. III, 12 „Lucilius Bassus classis Ravennatis praefectus ambiguos militum animos, quod magna pars Dalmatae Pannoniique erant . . ., partibus eius adgregaverat.“ Quo loco verba „quod . . . erant“ ad „ambiguos“ epitheton explicandum ut in parenthesi addita sunt. Ita autem Tacitus plerumque „quippe” vel „enim” usurpat. Similiter H. IV, 50 „et magna pars Pisonis ignari, quod Poenos auxiliares Maurosque in eam caedem (Festus) delegerat,“ „ein grosser Theil kannte den Piso nicht, er (Festus) hatte nämlich . . .“

5. **„Quod“ cum „quasi“ et „tanquam“ ita,** ut hae tres particulae eandem habeant causalem significationem, bis positum est: Ann. XIV, 52 [4]), „hi variis criminationibus Senecam

---

[1]) Draeger synt. Tac. §. 141.

[2]) Cf. p. 22.

[3]) Cf. p. 9.

[4]) Nipperdey (ad h l.) et Woelflinii (Philol. XXIV, 119) sententiam, qui „quasi“ non cum „principem“ coniungi, sed ad verbum „supergrederetur“ referri i. e. cum praecedentibus particulis „tanquam“ et „quod“ coordinari volunt, probandam esse puto. cf. Nipp. ad h. l. et ad XII, 51, ubi coniunctionem ab initio enuntiati in medium saepius retrahi exemplis demonstrat. Praeterea cf. Draeger §. 227.

adoriuntur, tanquam ingentes et privatum modum evectas opes adhuc augeret, quodque studia civium in se verteret, hortorum quoque amoenitate et villarum magnificentia quasi principem supergrederetur." Ann. XIV, 65 „veneno interfecisse creditus est Doryphorum quasi adversatum nuptiis Poppaeae, Pallantem, quod immensam pecuniam longa senecta detineret." Quibus locis non tam „quod" coniunctionem a sua significatione recessisse, quam „quasi" et „tanquam" ad hanc appropinquasse apparet. Ceterum particulas „tanquam" „quasi" „velut" apud Tacitum saepe causali uti significatione Heraeus [1]) et Woelflinius [2]) satis demonstrarunt.

6. Ellipticus „quod" particulae usus (was das betrifft, dass . . .) in Taciti scriptis semel tantum obviam est idque non dial. 25, quem locum per errorem Draegerus [3]) laudat, sed Agr. 34 ubi legimus: „Quos quod tantem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt." Contra dial. 25 verborum constructio usitatissima est. Ibi enim scriptum est: „nam quod invicem obtrectaverunt, (et sunt . . . detegitur) non est oratorum vitium sed hominum." „quod obtrectaverunt" — subiectum; „vitium est" — praedicatum.

7. „Nisi quod" [4]) (ausser das, allerdings, freilich) apud Tacitum his locis legitur: „Germ. 9. 17. 25. 29. 40. Agr. 6. 16. H. III, 28. IV, 39. Ann. I, 8. 16. 33. II, 19. III, 1. 57. 68. IV, 52. VI, 24. (30.) XI, 24. XII, 16. XIV, 14. 40. XVI, 7.

De significatione atque usu huius „nisi quod" recte Wexius ad Agr. 6: „Nisi quod" dicunt Latini, quum limitant pronuntiatam aliquam sententiam, ita ut quod universe et absolute enuntiatum est, exceptionem aliquam habere et aliquatenus restringendum esse adiiciant." Sic Germ. 29: „cetera similes Batavis, nisi quod . . . animantur." Quo additamento („nisi quod . . . animantur") iudicium universe pronuntiatum „cetera similes Batavis" accuratius definitur vel

---

1) Heraeus ad hist. I, 8. Programm: Hamm 1859.
2) Woelflin: Philologus XXIV, p. 115—123.
3) Draeger, Tac. synt. §. 141.
4) Id. §. 199 b.

potius correctione quadam afficitur. — Deinde quod attinet ad grammaticam huius usus explicationem, dicendum est, plerumque ellipsin statuendam esse. Sed falsum est putare, ubicumque „nisi quod“ inveniatur, ellipsin simul adesse. Sic nulla ellipsis inest his locis: Germ. 40 „nec quidquam notabile, nisi quod Nerthum colunt (sc. notabile est).“ Ann. I, 8 „Legata non ultra civilem modum (erant), nisi quod . . . dedit (sc. ultra modum erat.“ Nam quod ad sententiam explendam desideratur, e principali enuntiato facillime suppletur. Similiter res se habet Ann. XI, 24 „quid aliud exitio Lacedaemoniis fuit, nisi quod . . . arcebant“ Ann. I, 6 „nullis novis causis, nisi quod . . . ostendebat“ XVI, 7 „nullo crimine, nisi quod . . . praecellebant.“

Paullulum ab his locis ei differunt, in quibus enuntiato principali affirmativus sensus inest, ut Germ. 17: „nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminae saepius lineis amictibus velantur.“. Ib. 29 „cetera similes sunt, nisi quod animantur.“ Agr. 16 „eadem inertia erga hostes, similis petulantia, nisi quod . . . paraverat.“ Id enim, quod hic ad sententiam explendam subintellegatur necesse est, non statim ut antea praesto habemus. Sed tamen ex ipsis quae determinantur verbis, „non alius quam“ „cetera similes“ „eadem“ facile videmus, quid supplendum sit. Vel potius, cum quod vult determinari, scriptor ipse perspicue ac certo dicat, dubitari non potest, quid supplendum sit. Nihil aliud enim opus est, quam easdem voces quae in enuntiato principali affirmative positae sunt, negative adcogitare vel tale quiddam ut „discrepantiam facit“ supplere.

Scilicet in talibus locis parva ellipsis statuenda est.

Difficilius est non ex ipsis verbis, sed e sola sententia eorum intellegere, et quid determinari velit scriptor et quid ad ellipsin explendam addendum sit. Sic Ann. XIV, 14 legimus: „notos quoque equites Romanos operas arenae promittere subegit donis ingentibus (bewog durch grosse Geschenke), nisi quod merces ab eo, qui iubere potest, vim necessitatis affert.“ Iam quid determinatur? „ingentibus donis subegit.“ Quamobrem „subigere“ vertendum est „bewegen“ non „zwingen.“

Nam id ipsum, his donis equites quodammodo coactos esse, Tacitus quasi ad eos excusandos verbis „nisi quod . . . affert" exprimit. Ergo simul opprobrium, quod verbis „donis subegit" inhaeret, determinatur itaque deminuitur. Ellipsin autem optime explemus, cum e verborum sententia adiiciamus: „nisi quod merces . . . vim affert, excusationem quandam praebet" (allerdings gewährt der Umstand, dass . . .)

Denique omissis, qui facti sunt ab editoribus vel interpretandi vel emendandi conatibus [1]) locum Agr. 6, quomodo ipse eum explicandum esse putem, paucis exponere liceat. Ibi enim legitur: „Agricola Domitiam Decidianam sibi iunxit. Idque matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuit; vixeruntque mira concordia per mutuam caritatem et in vicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae est." Quid determinari vult scriptor additamento per „nisi quod" facto? Sine dubio laudem coniugis, quae continetur cum in toto loco tum in verbis „idque matrimonium — decus ac robur fuit." Quomodo autem fit haec determinatio? Quid sibi volunt verba „nisi quod . . . culpae est?" Vertenda quidem ea sunt ita: „Freilich wächst das Lob der guten Frau mit der Schuld der schlechten." Quibus verbis hic sensus inesse mihi videtur. Sane, ait Tacitus, coniugem bonam nominari haud ita magna laus est: nam bonam coniugem esse per se magnum meritum non est. Iam autem, cum bonam coniugem compares cum mala — id quod fieri solet —, illius laus valde augetur idque eo magis, quo maior culpa in hac est i. e. quo magis hoc „malam coniugem esse" ei ipsi tribuendum est. Nam sic culpam intellegendam esse puto. Fuere enim tunc, qui hanc culpam non feminae sed viro imputarent. Confer Ann. III, 34, ubi Tacitus Valerium Messalinum ita loquentem facit: „frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferri: nam viri in eo culpam, si femina modum excedat." Hoc autem „modum excedere" viro Romano summum habebatur vitium. Iam quidem Tacitus, quamquam Messalini sententiam non sequitur, tamen

---

[1]) Cf. praecipue Wex et Walther ad. h. l.

feminae soli illam culpam totam esse tribuendam negat. Cum autem aliquantum huius culpae mala coniux certo ipsa habeat, apparet bonam coniugem profecto iam propterea laudandam esse, quod sit bona non mala, idque eo magis quo maior ea culpae pars sit, quae ipsi malae coniugi imputetur.

II.

De modorum apud „quod" particulam usu.

In universum haec dicenda sunt. Tacitus ut omnino in posterioribus suis scriptis, praecipue in annalium libris, providentia quadam et sui ipsius iudicii reticendi studio adductus libentissime coniunctivo utitur, hunc modum etiam „quod" coniunctioni certe in historiis et annalibus saepius quam indicativum adiungit. Quantopere autem coniunctivi vel indicativi usus in singulis scriptis praeponderet, hac tabula demonstretur.

	script. min.				historiae					
	dial.	Agr.	Ger.		I.	II.	III.	IV.	V.	
Ind.	13	7	11	31	5	10	12	8	—	35
Coni.	1	—	—	1	4	18	8	10	3	43

	Annales												
	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	XI.	XII.	XIII.	XIV.	XV.	XVI.	
Ind.	7	7	12	11	—	7	2	9	2	14	4	5	80
Coni.	13	9	15	10	2	8	7	11	8	14	5	6	108

Iam ad singula perquirenda adeuntes primum indicativi usum, quatenus ei aliquid alieni inest, contemplemur.

1. Indicativus.

a) In oratione obliqua indicativus pro conjunctivo his locis positus est: H. II, 72 „exstiterat quidam Scribonianum se Camerinum ferens Neronianorum temporum metu in Histria occultatum (esse), quod illic clientelae et agri veterum Crassorum ac nominis favor manebat". Ann. IV 10 „Sejanum Lygdi quoque spadonis animum stupro vinxisse, quod is Lygdus... erat." Ib. 65 „Haud fuerit absurdum tradere, montem eum

antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod talis silvae frequens fecundusque erat". Ann. XII 38 „neque minus id clarum (esse), quam quod .... ostendere". XV 43 „destinabat, ut aedificia saxo Albano solidarentur, quod is lapis impervius est". [1])

Contra etiam in oratione indirecta indicativum iure adhiberi constat, si enuntiato una notio circumscribitur ut H. IV 69 „constat obstitise Treveris Lingonibusque apud Gallias, quod Vindicis motu cum Verginio steterant" (Parteinahme für V).

Praeterea hic locus, qui commemoretur, dignus esse videtur Agr. 10: „sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent ne ventis quidem perinde attolli, credo, quod rariores terrae montesque (sc. sunt) et profunda moles continui maris tardius impellitur". Hoc enim exemplum solum reperitur, ni fallor, quo Tacitus per vocem „credo" interpositam se suam ipsius explicandi rationem proferre fatetur.

b) Contra codicum scripturam indicativum ponendum esse dial. 25 Halmius recte perspexit, ceterique recentiores editores ut Michaëlis, Andresenus eius emendationem iure in textum receperunt. Ibi enim legitur: „nec refert, quod inter se specie differunt, cum genere consentiant". Codices: „differant"; qui coniunctivus nullo modo excusari potest. Immo adeo luculenter apparet Halmii coniecturam probandam esse, ut plura verba facere non opus sit.

c) Semper indicativus a Tacito positus est post „nisi quod". Hoc autem ex eo facile explicatur, quod „nisi quod" nunquam in oratione obliqua usurpatum est. Id quod forte an consulto Tacitus vitaverit, dijudicari non potest.

2. Coniunctivus.

Quamvis saepe Tacitus in posterioribus scriptis adhibeat coniunctivum quin etiam, ubi fortasse indicativum exspecta-

---

[1]) cf. Draeger synt. Tac §. 151. Nipperdey ad I 10. Hic quidem praeter alios hunc locum laudat H. IV. 4: „id vero erga rempublicam superbum (sc. erat), quod in manu sua fuisse ... iactabat". Is enim non „erat" sed „esse" supplet. Sed „erat" omissum esse ex eis verbis, quae antecedunt, apparet: „ipsa quoque insectatio .. sera et sine libertate sc. erat."

mus, tamen leges grammaticas quas novimus, unquam violasse dici nequit. Sane — idque non mirum est — haud pauca inveniuntur exempla, in quibus coniunctivum alieni quiddam habere negare non possis: eorum autem explicatio nunquam affert magnam difficultatem. Qua de re nunc dicendum, erit. H. I. 86: „id ipsum quod paranti expeditionem Othoni ... iter belli esset obstructum, in prodigium vertebatur". Coniunctivus scilicet ex sententia eorum positus est, qui illam rem in prodigium vertebant. H. II 54: „intendebat formidinem, quod publici consilii facie discessum Mutina desertaeque partes forent". Coniunctivus ex opinione eorum collocatus est, quorum formido intendebatur, tanquam scriptum sit: „metuebant (sc. e prioribus: senatores) eo magis quod e. q. s." vel simile quiddam. Porro H. V 10: „augebat iras, quod soli Iudaei non cessissent". Rursus coniunctivus explicatur ex eorum cogitatione, quorum irae augebantur. Sed jam videamus, quid inusitati sit in talibus locis. Equidem hoc puto. Is vel ei, e quorum sententia scriptor res narrat, nominatim non dicuntur, sed tantum velut implicite in his impersonalibus ideoque non satis definitis vocibus ut „intendebat formidinem" „augebat iras" continentur. Iam autem fieri potest, ut coniunctivi non ad singulos homines, qui e verborum et sententiarum nexu cognoscuntur, sed omnino ad homines (man, die öffentliche Meinung) referantur. Sic res se habet in exemplo postremum allato; omnium irae augebantur: ex existimatione communi coniunctivum „cessissent" scriptor posuit. Similiter Ann. II 37: „quo magis mirum fuit, quod preces Marci Hortali ... superbius accepisset" (Um so mehr wunderte man sich dass etc.) Ann. III 29: „utque haec secundo rumore, ita adversis animis acceptum, quod filio Claudii socer Seianus destinaretur (Man war unzufrieden). Et saepius. Conferri potest p. 19. —

Praeterea plerumque coniunctivum scriptor ponere solet post verba accusandi, laudandi, vituperandi similia et post ea, quae aliquem affectum exprimunt. Tamen uno loco coniunctivus aliquid offensionis habere mihi videtur. Dial 9: „laudavimus nuper ut miram et eximiam Vespasiani liberalitatem,

quod quingenta sestertia Basso donasset". Iam Vespasianus revera donaverat; non est igitur quidquam cogitati, de quo agitur, ita ut hac de causa coniunctivum collocatum esse existimemus. Immo etiam hic coniunctivus tanquam ex alius sententia positus est. Nam quodammodo alii sunt, qui tunc laudaverunt, alii qui nunc hoc recordantur. Vel etiam sic explicare licet. Is qui loquitur, cum prima persona pluralis utatur, cogitat simul de ceteris, qui eidem Vespasianum laudaverunt, eorumque ex animo coniunctivum adhibet.

Denique hi duo loci commemorentur necesse est: Ann. VI 18 (24) [1] „datum erat crimini quod Theophanen Mitylenaeum, proavum eorum, Cn. Magnus inter intimos habuisset, quodque defuncto Theophani caelestes honores Graeca adulatio tribuerat". Ib. 40 (46) „eo anno neque quod L. Aruseius . . . morte affecti forent, assuetudine malorum ut atrox advertebatur, sed exterruit, quod Vibulenus Agrippa . . . venenum hausit". Quae modorum mutatio, quamquam miri aliquid ei inest, facile explicatur. In primo enim enuntiati membro illic ex accusatorum hic e populi sententia dicit, in secundo simpliciter rem, de qua agit, factam esse narrat scriptor.

2. Verborum formae praetermissae. [2]

Hic usus apud „quod" coniunctionem rarius obviam est quam apud quia, sed eaedem leges, quas illic (p. 20.) attuli quaeque praecipue ad coniunctivi formarum praetermissionem pertinent, etiam hic valent. Desunt autem Agr. 10 „sunt,", H. II. 12: „erat." H III 43. „erat." Ann. I. 9 „esset." — Ann. XIV 8: „cubiculo modicum lumen inerat et ancillarum una, magis ac magis anxia, quod nemo a filio ac ne Agerinus quidem (sc. veniret". Draegerus (§. 35) exempla praetermissionis verborum movendi et agendi enumerat. Hoc autem loco [3] „veniret" supplendum esse, e sententiarum nexu facile intellegitur.

---

[1]) cf. Nipperdey ad h. l.
[2]) Nipperdey ad Ann I. 7. Draeger § 34—37.
[3]) Nipperdey ad h. l.

§. 3.

Quoniam.

Hac coniunctione Tacitus fortasse paullo rarius sed, credo, eodem modo quo ceteri scriptores utitur. „Quoniam“ enim his tantum locis invenitur idque cum indicativo coniunctum: dial 10. 32. 33. 41. Hist. II, 11. III, 69. IV, 5. 49. 73. V. 2. Ann. I. 57. II, 56. III, 71. IV, 6. 67 (suppl. „sunt“) XV, 63. 27. cum coniunctivo: Germ. 2. Hist: II, 32. IV, 85. Ann. I, 10. 59. II, 26. 46. IV, 16. 39. XIII, 47. XV, 24. 43.

1) Iam nobis singula persequentibus primum de lectionum quas libri exhibent, fide atque auctoritate pauca dicenda sunt. Librarii enim pro „quoniam“ voce praeter compendium „qm“ — quod in cod. Med. II aliquoties exstat — etiam „quō“ scribebant, quod in cod. Med. I pluribus locis legitur. Jam vero antiquiores editores, in quibus Waltherus, Beroaldo auctore illud „quō“ pro „quando“ scriptum esse perperam arbitrati hic locis Ann. I, 57. 59. II, 26. 56. III, 71. IV, 6. 16. „quando“ pro „quoniam“ in textu posuerunt. Nunc recentiores editores quoniam restituerunt

Accedit altera paullo gravioris momenti quaestio. H. III 5. 73. V, 2. codex Mediceus II praebet compendium „q“ = „quae,“ id quod, cum coniunctio causalis requiratur, omnino ferri ne“ quit. Iam quidem Halmius, Heraeus, Nipperdeyus „quoniam‘- Ritterus, Waltherus „quia“ substituerunt, idque utrique auctoritate codicum quorundam secundi ordinis adiuti [1]). Nec facile fieri poterit, ut quid rectum sit, certo diiudicetur, praesertim cum una mutatio haud difficilior sit, quam altera. Nam compendia particularum „quoniam,“ „quia,“ „quae“ adeo inter se similia sunt, ut hac de re nihil concludi possit. — Immo hic ad scriptoris dicendi genus recurrendum erit. Quam ob rem illos locos paullo accuratius examinemus necesse est. H IV. 5 legimus: „res poscere videtur, quoniam iterum in mentionem incidimus viri saepius memorandi, ut vitam ejus . . . paucis repetam“. Ib 73: „Sed quoniam apud vos verba plurimum valent, statui pauca disserere.”

[1]) cf. Ritteri notas.

H. V. 2: „Sed quoniam famosae urbis supremum diem tradituri sumus, congruens videtur primordia eius aperire“. Quibus sententiis „quoniam“ non solum e communi sed etiam e propria Taciti dictione accommodatissimum esse statim elucebit. Saepius enim ille, cum excursum aliquem vel narrationis transitum excusare vult et probare, hanc particulam usurpat: ut Ann IV 6: „congruens crediderim, recensere ceteras quoque partes, quoniam ille annus attulit e. q. s“. Dial. 33: „quoniam initia et semina veteris eloquentiae satis demonstrasse videor, persequar nunc exercitationis e. q. s.“ Sed etiam qui non „quoniam“ illis locis sed „quia“ scribunt, a Taciti sermone non abberrant. Nam Ann. II 27 legitur: „cujus negotii initium, ordinem, finem curatius disseram, quia tum primum reperta sunt e. q. s.‘ Ann. XV. 72 „Consularia insignia Nymphidio . . . . quia[1]) nunc primum oblatus est, pauca repetam“. Adde, quod iam supra[2]) demonstrasse mihi videor, apud Tacitum coniunctionem „quia“ similiter ac „quoniam“ haud raro adhiberi. Quae cum ita sint, utra particula illis tribus locis, „quia“ an „quoniam“, a Tacito scripta sit, in dubio relinquendum esse censeo; fortasse autem „quoniam,“ cum universe sit usitatius in talibus sententiis, anteferre itaque Halmii, Heraei, Nipperdeyi emendationem sequi licebit.

2) De Taciti conjunctionis „quoniam” usu, cum is, ut dixi, ab aliorum scriptorum consuetudine vix discrepet, fere nihil habeo, quod addam. Sed proferantur haec:

Dial. 32: „sunt aliae causae, quas a vobis aperiri aequum est, quoniam quidem ego jam meum munus explevi.” Hoc „quidem” ad quoniam adjectum esse videri potest, ut in „quando-quidem,” „si-quidem.” Sed „quidem” ad „ego” referendum ac tantum per anastropham quandam ante hoc positum esse ex sententia liquet.

[1]) Omitto, quae huic loco inest, lacunam; pro „quia nunc“ autem, quod Halmius et Nipperdeyus in textu habent, codex praebet quanno, id quod Ritterus pro „quando nunc“ accipit. Mihi quidem utrumque ferri posse videtur. Halmius autem (qui sane „quoniam“ scribere mavult) et Nipperdeyus, cum „quia“ scripserint, etiam hanc particulam tali loco a Taciti sermone non abhorrere concesserunt.

[2]) cf. p. 8.

Paullo insolentius, ni/fallor — certe in ceterarum causalium usu conjunctionum tale quiddam non observavi — duobus locis principale enuntiatum per „ita" introducitur: Ann. IV. 16 [1]): „et quoniam exiret e jure patrio, qui id flaminium apisceretur . . , ita medendum esse et q. s." ib 39. „et quoniam audiverit, Augustum consultavisse, ita si maritus Liviae quaereretur, haberet in animo e. q. s."

Non ad totam sententiam, ut solet, sed ad unam vocem explicandam speciat enuntiatum a „quoniam" pendens, ita ut tanquam in parenthesi appositum esse videatur, Ann. II. 56: „Ambigua (sc. erat) gens ea antiquitus hominum ingeniis et situ terrarum, quoniam (= denn bekanntlich) nostris provinciis late praetenta penitus ad Medos porrigitur." Quae verba („quoniam — porrigitur") ad „situ terrarum" referenda esse plane apparet.

Ann. XIV. 28 „quoniam" pro „quod" positum esse Draegerus contendit (§. 188). Ibi enim codex Mediceus II. exhibet: „Comitia praetorum arbitrio senatus haberi solita, quo acriore ambitu exarserant, princeps composuit." Jam quoniam ad „quo acriore ambitu" correlativum deest, — fortasse lacuna statuenda est — Halmius, quem sequitur Draegerus, „quo" in „quoniam" mutavit. Sed cur „quo" in „quoniam" mutatur? In codice Mediceo II. compendium „quo" pro „quoniam" non invenitur, si quidem Ritteri notis criticis confidere licet. Ergo Nipperdeyum jure „quod" scripsisse censeo. Nam recte judicat Draegerus, hoc loco „quod" postulari.

3) Restat, ut de modis, quos „quoniam" particulae adjungit Tacitus, breviter disseram.

Goerenzius ad Cic. de fin. III. 18 §. 59: „Notandum est enim, auctorem (i. e. Ciceronem) duplici ratione ad „quoniam" subjunctivum ponere, partim „ut" conjunctione, partim accusativo cum infinitivo aut praecedente aut sequente" — sequuntur exempla — „Aliter ad quoniam conjunctivum additum non meminimus, nisi forte in parenthesi cf. pro Sest. 11. 26." Jam quidem hoc Goerenzii judicium de Ciceronis particulae

---

[1]) Draeger § 188.

usu nescio verum falsumne sit, sed ad Taciti usum, si non totum, tamen ex parte bene quadrat: is enim conjunctivum non posuit nisi acc. c. inf. aut praecedente aut sequente. Neque ullum exemplum invenias, ubi conjunctivus minus usitate positus nos offendat. Indicativus quoque nusquam contra legem adhibitus reperitur, uno loco excepto, de quo nunc agendum est.

Ann. II. 26 codex Mediceus I. haec tradit: „posse et Cheruscos ceterasque rebellium gentes, quŏ (i. e. quoniam)[1] Romanae ultioni consultum est, internis discordiis relinqui." Quae verba cum prioribus ita cohaerent; Tiberius magnis factis Germanici in Germania prospere bella gerentis sollicitatus est ejusque gloriae invidet, quamobrem eum, ut Romam redeat, hortatur ac praeter alia, quibus veram suam sententiam dissimulare studet, etiam hoc praetendit: Romanae ultioni consultum esse.

Jam propter orationem obliquam pro „consultum est" — „consultum esset" requiritur. Sed tamen non defuerunt[2], qui indicativum „est" defenderent eumque cum Taciti genere dicendi prorsus convenire affirmarent. Sed quamquam is haud raro in oratione indirecta paullo insolentius indicativo utitur (cf. p. 3. 29), tamen hic locus in illorum numerum referri non potest. Tum enim certe „erat" ponendum fuit. Cf. Ann. III. 6: „proin repeterent sollemnia, et quia ludorum Megalesium spectaculum suberat, etiam voluptates resumerent." In directa oratione Tiberius etiam hoc loco „subest" dixit. Tacitus autem, ejus verba indirecte afferens „subest" in „suberat" commutat, quia de rebus praeteritis agit. Contra praesens tempus retineri potest, si id, de quo sermo est, etiamtum cum Tacitus scribit, dici potest, ut sententia communis, similia. Sic. Ann. XV. 43: „destinabat ut aedificia saxo Albano solidarentur, quod is lapis impervius est."

---

[1]) Est hic locus in numero eorum, quibus vetustiores editiones „quando" pro „quoniam" habent. Sed sive „quando" sive „quoniam" scribas, hac re nil mutatur; nam etiam „quando" hic causaliter positum eadem fere, qua quoniam, uteretur significatione.

[2]) cf. Walther ad. h. l.

Sed indicativus omnino hic ferri nequit. Si Tiberii verba „Romani ultioni consultum est" cum veritate congruerent, non solum praetenderentur vel certe Tacitus ipse eis assentiretur, tum indicativus nihil haberet offensionis. Indicativo enim non utitur scriptor — quem summae cautioni operam dare scimus — minime in oratione obliqua, nisi veri aliquid vel certe, quod verum esse ipse credit, pronuntiat. Hic autem optime postremis ejusdem capitis verbis eloquitur, se Tiberii invidiosa consilia prorsus perspexisse: „haud cunctatus est ultra Germanicus, quamquam fingi ea seque per invidiam parto jam decori abstrahi intellegeret." — Quae cum ita sint, factum est, ut jam pridem Mureto auctore facillima mutatione „est" in „esset" emendaverint. Quam conjecturam in textu posuerunt e recentioribus Halmius, Nipperdeyus. „Est" autem sola in Haasii editione (1855) adhuc exstat. — Praeterea Ritterus, ut habeat aliquid peculiare, pro „est" scribit „sit." Hoc plane perversum esse luculenter apparet. Nam non solum in praecedentibus verbis jam plures conjunctivi temporum praeteritorum positi sunt, quia „monebat" verbum regens in praeterito collocatum est; sed etiam codicum scripturam „est" ex „esset," non e „sit" corruptam esse, facile intellegitur.

§. 4.

Quando

(quandoquidem, siquidem).

Particulam quando causaliter positam haud raro invenimus apud Tacitum[1]. Ac primum quidem quod attinet ad significationem huius causalis coniunctionis, Boetticherus haec dicit: „quando" = „quoniam," „quandoquidem", „cum", cuius simillima ratio est, non solum tempus, sed causam quoque exprimentis, nisi quod raro admodum „quando" recta etiam oratione coniunctivo iungitur". Qua in expositione id solum minus accurate dictum est, „quando" raro admodum recta oratione coniunctivo iungi; hoc enim nunquam fit; immo ubi ad hanc particulam coniunctivus applicatus est, is ex ora-

[1]) cf. Boetticher lex. Tac. — Draeger §. 188.

tione obliqua explicandus est. — Praeterea autem adnotationem, quam Kritzius fecit ad Sallustii Iug. 102. 9, afferre liceat: „Non satis accurate tamen Ruhnkenius ad Ter. Andr. IV. 5, 23 „quando" plane idem esse dicit, atque quoniam; rectius F. A. Wolfius, quum ad Suet. Caes. c. 28 vim particulae cum Graeco ἐπειδή comparasset, ad Taciti Ann. I. 57 [1]) „quando" — inquit — non multum differt a causali „quod" seu „quia" latente quadam significatione temporis Ita autem continetur utraque vis, ut a temporis notione ad causae transcatur, siquidem, quod certo aliquo tempore fit, pro causa habetur alius rei instituendae." Hanc Wolfii sententiam cum Kritzio probare debemus. Sane apud Tacitum quidem „quando" causale non solum ad conjunctionum causalium, quae sunt „quia" „quod," sed saepius etiam earum, quae sunt „quoniam," „cum" (indem) significationem accedere videbimus.

2) „Quando" causalem habet significationem et quidem indicativus ei adjungitur his locis: Germ. 33. H. I. 87. 90 II. 33. III. 47. IV. 6. 65. V. 24. Ann. I. 44. XII. 67. XIII. 12. XIV. 4. 31. XV. 60. Conjunctivus legitur: H. II. 34. III. 8 78. V. 13. Ann. III. 18 IV. 64. VI. 6 (12) XI. 1. 17. XII. 2. 6. 19. 48 („esset" suppl.) 62. XV. 17. 19. 62. XVI. 29. Primum igitur invenitur „quando" causale G. 33, deinde in historiis undecies, in annalium libris vicies; cum indicativo conjunctum quatuor decies, cum conjunctivo duodevicies.

Jam apparet, non ubique pro certo dijudicari posse, utrum particulae „quando" significatio propius absit ab hujus an illius conjunctionis, a „quia" an „quoniam" an „cum"; namtam accurate et subtiliter conjunctionum significatio discerni nequit neque ab ipso scriptore discernitur, ut hoc fieri possit. Itaque pauca exempla sufficiant.

---

[1]) hoc loco recentiores editores „quoniam" (cod. „quo") scribunt. — De confusione particularum „quoniam" et „quando," quae ex eo facta erat, quod vetustiores editores compendium „quo" in cod. Med. I. pro „quando" legebant. cf. p. 33.

a) „quando" = „quia" Ann. IV. 64: „adduntur sententiae ut mons Caelius in posterum Augustus appellaretur, quando; cunctis circumflagrantibus sola Tiberii effigies — mansisset." Ann. XII. 2. 6. 67 („igitur exterrita Agrippina, et quando ultima timebantur"; cf. „et quia" p. 10).

b) „quando = quoniam" Germ. 33 „maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus imperii fatis nihil jam praestare fortuna majus potest quam hostium discordiam." H. I 87. 90 II. 34 IV. 6 Ann. I. 44.

c) „quando" = „cum" explicativum „indem": Ann. XII. 62. „mox recentia in Caesares merita, quando ea loca insiderent e. q. s." XIV. 4. XVI. 29. cf. „quia" = „cum" („indem") p. 7.

Denique quod ad modorum, qui „quando" conjunctioni adjecti sunt, usum attinet, equidem in nullo loco offendi. Omnes enim conjunctivi facile ex oratione obliqua explicantur. Paullo audacius fortasse hic modus positus est Ann. IV. 64, quem locum jam supra attuli: „Adduntur sententiae, ut mons Caelius in posterum Augustus appellaretur, quando . . . . mansisset." Conjunctivus e sententia eorum, qui sententias addebant, collocatus est. Cf. p. 19 et praecipue 31.

„Quandoquidem" semel admodum in Taciti scriptis invenies H. III. 54 „quandoquidem, inquit, magno documento opus est, nec alius jam tibi aut vitae aut mortis meae usus, dabo cui credas." „quando quidem" = „da nun einmal."

„siquidem" bis mihi obviam fuit: Agr. 24. „eamque partem Britanniae quae Hiberniam aspicit copiis instruxit, in spem magis quam ob formidinem: siquidem Hibernia . . . . miscuerit." Germ. 30: „Ultra hos Chatti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis, ut ceterae civitates in quas Germania patescit; durant siquidem colles, paulatim rarescunt e. q. s." Hic locus diverse intellegitur. Haasius aliique eam interpunctionem, quam supra

feci, probant, ita ut „siquidem" per anastropham[1]) in secundo enuntiati verborum loco positum sit. Atque ego quidem hanc sententiam sequor. Alii ut Kritzius post „inchoant" punctum, post „durant" comma collocant, comma post „colles" tollunt; subjectum ad „durant" est „Chatti." Sed cf. Kritzii editionem.

§. 5.

Quippe. Quippe qui. Ut qui.

„Quippe" particulae, quam saepissime (115) apud Tacitum invenimus, omnino inest vis conjunctionis causalis „nam" vel „enim." Eam igitur nihil valere ad modorum electionem liquet. Nihilominus autem memoratu dignum esse puto, semel modo in enuntiato per „quippe" introducto conjunctivum inveniri. Qui locus est Ann. VI. 22 (28): „quippe sapientissimos veterum, quique sectam aemulantur, diversos reperias (man findet) e. q. s."

Deinde quod attinet ad distributionem particulae in singulos Taciti libros factam, „quippe" in dialogo nusquam, in Germania semel (c. 37), in Agricola ter (c. 4. 7. 44), in historiarum tricies semel, octogies in annalium libris mihi obviam fuit.

Praeterea quae de usu „quippe" vocabuli dicenda sunt, magna ex parte cum eis observationibus, quas de ejusdem vocis apud Livium usu Hildebrandus[2]) fecit„ bene consentiunt.

1) Primum enim ac praecipue Tacitus „quippe" particula utitur in enuntiatis, quibus inest verbum finitum, — quod quidem uno loco excepto semper in indicativo positum esse, jam supra commemoravi.

2) Deinde „quippe" adhibetur sed rarius in enuntiatis accusativi cum infinitivo, idque semel in historiis (II. 66) saepius in annalibus I. 79. II, 15. 80. III, 5. 17. IV, 19. 38 VI, 28. (34) XI, 25. 26 XII, 41. XIII, 27. 50. XV, 29. XVI, 1. 7. 14.

---

[1]) Draeger §. 227, ubi anastrophae conjunctionum exempla, quae apud Tacitum exstant, enumerantur.

[2]) Programm: Dortmund 1865. p. 26. 27.

3) Denique „quippe" interdum ad adjectiva vel participia jungitur, quibus aliquod substantivum, quod praecedit, explicatur Hic usus, apud Livium quoque rarior, in Taciti scriptis bis reperitur: H. I. 32: „neque illis judicium aut veritas, quippe eodem die diversa pari certamine postulaturis." „quippe — postulaturis" spectat ad „illis." Ann. III. 68. „nisi quod Cn. Lentulus separanda Silani materna bona, quippe alia parente geniti, reddendaque filio dixit." „quippe geniti" refertur ad „Silani." —

Restant duo loci, quibus quippe paullo insolentius adhibitum est. H. I. 72: „et haud dubie servaverat, non clementia, quippe tot interfectis, sed effugium in futurum, quia pessimus e. q. s." Verbis „quippe tot interfectis" explicatur, cur Titum Vinium clementia adductum Galbae filiam servavisse credi non possit. Haec verba igitur in parenthesi addita eadem exprimunt ac „quippe tot interfecerat." Ann. XI. 6: „Suilius et Cossutianus et ceteri, qui non judicium, quippe in manifestos, sed poenam statui videbant, circumsistunt Caesarem et q. s." „Usitatius et dilucidius fortasse Tacitus dixisset: „in se quippe manifestos."

In universum praeterea haec sunt addenda.

1) Saepius, ut apud Livium, ita apud Tacitum „quippe" particula aliqua parenthesis introducitur. Sic Hist III. 9 „has ad copias nequaquam Vitellianis pares, quippe tres adhuc legiones erant, misit epistulas Caecina e. q. s." H. IV. 36. Ann. I, 58. II, 80. III, 17. IV, 1. VI, 5. (V, 10) XIII, 19. XV, 46.

2) Particula „quippe" pro primo secundum locum in enuntiato tenet (anastrophe) [1] his locis: Agr. 3. Ann. II, 15. 33. 80 III. 2. 5. 17. IV. 17. 19. 32. 38. 39. 41. 67. VI. 28. (34) XII, 36. 41. XV, 29. 35. 51. 60 XVI, 1. 17.

3) Hildebrandus l. l. demonstrat, uno loco apud Livium „quippe" particulam eandem fere vim habere, ac „quia" vel „quod." Liv. V. 53. 4 enim legitur: „nunc has ruinas relinquendas non censerem, quippe tum causa nobis . . . . victoriae esset, nunc haec migratio gloriosa est." Tale autem quiddam

---

[1] Draeger §. 227.

apud Tacitum non reperitur. — Apud eundem Livium „quippe" haud raro cum conjunctionibus „cum," „ubi," „si," „etsi" conjunctum adhibetur. Sed id quoque a Taciti sermone abhorret. —

„quippe qui[1]) semel admodum apud Tacitum legimus Agr. 18 „ita petita pace ac dedita insula clarus ac magnus haberi Agricola, quippe cui ingredienti provinciam — labor et periculum placuisset. Conjunctivum igitur secundum optimae latinitatis legem positum esse videmus. Apud Livium enim post „quippe qui" aliquoties, apud Sallustium semper indicativus usurpatur.

Pro „quippe qui" Tacitus undecies adhibuit „ut qui,"[1]) idque cum conjunctivo conjunctum, Agr, 11. H. I, 29. 37. 51.·H. II, 12. 78 H. III, 25 Ann. II, 10 Ann. IV, 62. Indicativus legitur Germ. 22; Ger. 17 indicativum „est" suppplendum esse Boetticherus quidem judicat. E ceteris scriptoribus Cicero[2]) „utqui" non utitur, Livius ei partim indicativum, partim conjunctivum,' Sallustius indicativum adjungit.

---

[1]) Draegrus §. 155.

[1]) cf. Kuehnast Liv. Synt. p. 270.

Vita.

Natus sum Carolus Ludovicus Ferdinandus Reuss anni LII. die 5. mens. Mai. in vico Thuringensi, nomine Schloss-Beichlingen, patre Gustavo topiario, matre Emma de gente Vogt, quos adhuc vivos summa pietate colo. Fidei addictus sum evangelicae. — Literarum rudimentis in progymnasio Donndorfensi imbutus anno LXVI. Portam receptus sum, ubi Kobersteinii viri doctissimi et humanissimi curae commendatus, Carolo Petero rectore, per sex annos ad literas incubui. A. LXXII. testimonio maturitatis instructus Lipsiam me contuli philologicis studiis et historicis operam daturus. Quatuor semestria ibi versatus, postquam simul militiae annum absolvi, Halas commigravi, ubi studia per ter senos menses continuarem. Scholis interfui virorum illustrissimorum Ritschelii, Curtii, Ecksteinii, Brockhusii, Strümpellii Lipsiae, Halis Erdmanni, b. Bernhardyi, Keilii, Duemmleri, Droysenii, Kirchhoffii. Seminarii philologici auspiciis Keilii, Dittenbergeri unum annum sodalis fui. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas.

Theses.

I.

Ad restituendum Horatii carmen VIII. libri IV. hos versus ejiciendos esse existimo: 15—19 (non celeres fugae-rediit) v. 28. 33.

II.

Quatuor illi versus, qui a quibusdam codicibus in initio Aeneidis ponuntur, spurii habendi sunt.

III.

Tac. Agr. 20: capite exeunte Wexii emendatio maxime probabilis mihi esse videtur: „ut nulla ante Britanniae pars, illa illacessita transierit."

IV.

Pugna ad Eurymedontem commissa in annum 466 vel 465 cadit.

JAN 30 1886

DUE SEP 1 1925

Lt 1.905
De coniunctionum causalium apud Tac
Widener Library 006727194
3 2044 085 236 305